Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31660
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Siluester episcopus dixit. Hec uox dei est aduersus in-
credulitatem iudeorum qui uidentes eum
dixerunt non est hic a deo. Ergo ut occulta sue
diuinitatis maiestatem ostenderet talium
eorum incredulitatem confudit. Si nec propheta-
rum uerbis nec meis nec apostolorum uultis cre-
dere. quia ego sum deus. uel oculis uestris uidete
me esse dominum. qui mortuos uestros suscito. Id-
circo et prophete iudeorum pene omnes testati sunt
dicentes. Hic est deus noster qui uiuificat mortu-
os. Presciens ergo deus incredulos fore iudeos
premonens ait. Videte uidete quoniam ego sum deus
et non est alius preter me. Ego occidam et ego ui-
uere faciam. percutiam et ego sanabo. Abya-
thar dixit. Discute euangeliorum uestrorum uolumi-
na et ostende si alicubi inuenies christum
tuum aliquem occidisse. cum legas aliquem
suscitasse a mortuis. Ait enim uox ista
domini. Ego occidam. et ego uiuere faciam.
Craton dixit. Si constat christum suscitasse
mortuum constat et eundem esse qui iuuenti
intulit mortem. Nam pars ista de qua iu-
deus causatur. id est interfectionis humane.
possunt hoc et bestie facere. et uarietas que
humanis casibus subiacet. mortuum susci-
tare non nisi dei est. Abyathar dixit. Virtus uero
legis nostre semper habuit uiros uirtutum.
qui uaria signa gesserunt et elementis im-
perauerunt. et maria diuiserunt. et fluenta
fluminis post se currere fecerunt. et
solem stare iusserunt. et ignem de celo super
iniquos. et super sacrificia deiecerunt. et mor-
tuorum cadauera ad uitam quam amiserant
reuocauerunt. nullus tamen eorum qui hec
signa et prodigia leguntur fecisse sibimet
diuini honorem nominis usurpauit. sicut
iste fecit quem ihesum isti christum dominum et dei filium
confitentur. Sanctus siluester episcopus dixit. Hoc in totum
negare non potes. quod archisynagogi uestri
filiam mortuam suscitauerit. et unicum ui-
due in feretro portatum mortuum matri
uiuum reddiderit. et lazarum quatridua-
num ac si dormientem excitans euocauerit.
Mentior si historiographus uester iosephus
non de illo hec facta retulerit. si et cay-
phas princeps sacerdotum uestrorum in isto id est
in lazaro suscitato liuore non exarserit.
si non et pilatus hec eadem sua relatione sig-
nauerit. Abyathar dixit. Dixi iam fuisse
et alios qui ista facientes seruos se esse
domini memorauerunt. Nam iste dominum se esse
asseruit. Sanctus siluester episcopus dixit. Meminisse
debes et aaron et mariam contra moysen
superbientes lepre plaga fuisse percussos.
Abyathar dixit. Ita est. Siluester dixit. Et hoc
ad animum reuoca. datan et chore et
abyron. uiuentes a terra propter superbiam deuo-
ratos. Abyathar dixit. Ita est. Siluester dixit.
Nec hoc preterire te patiar. quod saul christus
effectus. pro superbie spiritu demonio sit man-
cipatus. Dixitque abyathar. Ita est. Sanctus siluester
dixit. Si ita est. immo quia ita est. uideant
iudices. utrum nam iste est qui cecis uisum
reddidit. surdis auditum. demonia eiecit.
super maria siccis pedibus ambulauit. et
tempestates tranquillauit. suscitauit
mortuos. si mentiri potuit se dominum
dici quod erat. cum utique deus iste hebreorum
numquam passus est superbientes absque plaga
aliqua acerrime preterire. Hec ergo dicente